

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PRÆFATIO in qua exponuntur hæc quinque.
1°. Quæ tempora anni vel maximè tuta vel
periculis sint opportuna, 2°. quæ tempestatum
genera, 3°. quæ partes ætatis, 4°. qualia cor-
pora, 5°. quod genus adversæ valetudinis in uno
quoque timeri maximè possit. CAP. I. De signis
morborum. SECT. I. Instantis adversæ valetudi-
nis signa. SECT. II. Quæ bona in ægrotantibus
signa sint. SECT. III. Quæ mala. SECT. IV. Quæ
nam sint signa longæ valetudinis. SECT. V. Quæ
signa mortis. SECT. VI. Quas quis notas in sin-
gulis morborum generibus habere possit. SECT. VII.
Quæ notæ in quóque morbi genere vel spem vel
pericula ostendant. CAP. II. De morborum cura-
tionibus. SECT. I. De sanguinis detractione
quæ fit vel per venas. SECT. II. De cucarbitas.
SECT. III. De dejectione. SECT. IV. Quæ fit vel
per alvi ductionem. SECT. V. De vomitum.
SECT. VI. De frictione. SECT. VII. De gestatione.
SECT. VIII. De abstinentia. SECT. IX. De su-
dore, quæ auxilia corpori adjiciant. SECT. X.
Qui cibi potionesve valentis materiæ sint, quæ
imbecillæ. SECT. XI. Quæ natura sit ac proprie-
tas cujusque rei quâ vescimur. Parag. I. Quæ
boni succi sint, quæ mali. Parag. II. Quæ res-
lenes sint, quæ acres. Parag. III. Quæ crassio-
rem, quæ tenuiorem pituitam faciant. Parag. IV.
Quæ sint stomacho apta, quæ aliena. Parag. V.

Quæ infest plus minusve. Parag. VI. Quæ calefaciant, quæ refrigerent. Parag. VII. Quæ facile intus corrumpantur, quæ minus facile. Parag. VIII. Quæ alvum moveant, quæ adstringant. Parag. IX. Que urinam citent quæ tardent. (*Hic lacuna.*) Parag. X. Quæ somnum moveant, quæ sensus excitent. CAP. III. De auxiliis materiam evocantibus & reprimenteribus, de refrigerantibus (desideratur ea pars) ac calefacientibus, de durantibus & mollientibus.

P R A E F A T I O.

INSTANTIS autem adversæ valetudinis signa complura sunt: in quibus explicandis non dubitabo auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis, quem recentiores quoque medici, quamvis in curationibus quædam mutarint, tamen hæc illum optimè præsagisse fateantur. Sed ante quām dico, quibus præcedentibus morborum timor subsit; non alienum videtur exponere, quæ tempora anni, (quæ ventorum) quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora maximè tuta vel periculis opportuna sint, quod genus adversæ valetudinis in quōque timeri maximè possit. Non quod non omni tempore in omni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitus homines per omnia genera morborum & ægrotent & moriantur; sed quod frequenter tamen quædam eveniant: ideoque utile est scire unum quemque, quid & quando maximè caveat.

I. (Ex temporibus) igitur saluberrimum ver est : proxima deinde ab hoc hiems : periculosior æstas , autumnus longè periculosissimus.

VERE autem maximè , quæcumque humoris motu novantur , in metu esse consúerunt. Ergo tum lippitudines , pustulæ , profusio sanguinis , abscessus corporis quæ ἀπεσήματα Græci nominant , bilis atra quam μελαγχολίας appellant ; insania , morbus comitialis , angina , gravedines , destillationes oriri solent. Hi quoque morbi , qui in articulis nervisque modò urgent , modò quietescunt , tum maximè & incohantur & repetunt.

At æstas non quidem vacat plerisque ab his morbis ; sed adjicit febres vel continuas vel ardentes vel tertianas , vomitus , alvi dejectiones , auricularum dolores , ulcera oris , cancrorum quum in cæteris quidem partibus , tum maximè obscenis ; & quicquid sudore hominem resolvit.

VIX QUICQUAM ex his in autumnum non incident : sed oriuntur eo quoque tempore febres incertæ , lienis dolor , aqua inter cutem , tabes quam Græci φθίσιν nominant , urinæ difficultas quam σπαγγυρίας appellant ; tenuioris intestini morbus quem εἰλέσιν nominant. Fit item levitas intestinorum quæ λειεντερία vocatur ; coxae dolores , morbi comitiales. Idem quoque tempus & diutinis mali fatigatos , & ab æstate tantum proximâ pressos , interimit , & aliis novis morbis conficit ; & quosdam longissimis implicat , maximèque quartanis quæ per hiemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus pestilentia patet , cujuscumque eæ generis est.

HIEMS autem, quamvis variis rationibus nocet, capit is dolores, tussim, & quicquid in faucibus, in lateribus, in visceribus mali contrahitur, irritat.

II. (Ex ventis verò) Aquilo tussim movet, fauces exasperat, ventrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolores lateris & pectoris. SANUM tamen corpus spissat, & mobilius atque expeditius reddit. AUSTER aures hebetat, sensus tardat, capit is dolores movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Cæteri venti, quo vel huic vel illi propiores sunt, eo magis vicinos his illisve affectus faciunt. Si genus aliud ventorum est, salubriores Septentrionales quam Subsolani vel Austri sunt: sic tamen ut hæc interdum regionum sorte mutentur. Nam ferè ventus ubique a mediterraneis regionibus veniens salubris, a mari gravis est.

III. EX TEMPESTATIBUS verò optimæ æquales sunt, sive frigidæ sive calidæ: pessimæ quæ variant maximè: quo fit ut AUTUMNUS plurimos opprimat. Nam ferè meridianis temporibus calor; nocturnis atque matutinis, simulque etiam vespertinis, frigus est. Corpus ergo & æstate & subinde meridianis caloribus relaxatum, subito frigere excipitur. Sed ut eo tempore id maximè fit, sic quandocumque evenit, noxiū est.

Ubi æqualitas autem est, SALUBERRIMI sunt sereni dies: meliores pluvii quam tantum nebulosi nubilive: optimique hieme qui omni vento vacant; æstate, quibus Favonii perflant.

Neque solùm interest, quales dies sint, sed

etiam quales ante præcesserint. Si HIEMS SICCA Septentrionales ventos habuit, ver autem Austros & pluvias exhibet, ferè subeunt lippitudines, tormenta, febres (acutas), maximèque in mollioribus corporibus, ideòque præcipue in muliebribus. Si verò AUSTRI pluviaeque hiemem occuparunt, ver autem frigidum & siccum est, gravidæ quidem feminæ quibus tum adeat partus, abortu periclitantur; hæ verò quæ gignunt, imbecillos vixque vitales edunt. Cæteros lippitudo arida, &c, si seniores sunt, gravedines atque destillationes malè habent. At si a primâ hieme Austri ad ultimum ver continuarunt, laterum dolores, & insania febricitantium quam *epenitiv* appellant, quām cœlerrimè rapiunt.

UBI verò CALOR a primo vere orsus æstarem quoque similem exhibet, necesse est multum sudorem in febribus subsequi. At si SICCA æstas Aquilones habuit, autumno verò imbres Austriques sunt, totâ hieme quæ proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam etiam tabes oriuntur. SIN autem AUTUMNUS quoque æquè siccus iisdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit; durioribus verò instare possunt & aridae lippitudines, & febres partim acutæ partim longæ, & hi morbi qui ex atrâ bile nascuntur.

Denique omnis calor & jecur & liènem inflamat, mentem heberat, & ut anima deficiat, ut sanguis prorumpat, efficit. FRIGUS modò nervorum distensionem, modò rigorem infert; illud,

σπασμὸς, hoc τέταρτον Græcè nominatur: nigrum in ulceribus, horrorem in febribus excitat. IN SICCITATIBUS acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. PER IMBRES longæ febres, alyi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio nervorum quam πάραλυσιν Græci nominant.

- Neque solùm in bono tempestatum habitu certior valetudo est; sed priores morbi quoque, si quia incidérunt, leviores sunt, & promptius finiuntur. Pessimum ergo est cœlum quod ægrum fecit; adeò ut IN ID quoque genus quod naturâ pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit.

- IV. Quod ad ætates verò pertinet, PUERI proximique his vere optimè valent, & æstate primâ tutissimi sunt: senes æstate & autumni primâ parte: juvenes hieme, qui que inter juventam senectus temque sunt. At ætas media tutissima est: quia neque juventæ calore, neque senectutis frigore infestatur. Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet.

V. Corpus autem habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obèsum: nam LONGA statuta, ut in juventâ decora est, sic maturâ senectute conficitur. Gracile corpus infirmum, obèsum hebes est.

VI. Inimicior senibus hiems, ætas adolescentibus est. Tum si qua imbecillitas oritur, proximum est, UT INFANTES tenèrosque adhuc pueros serpentia ulcera oris quæ ἀφθæ Græci nominant, vomitus, nocturnæ vigiliae, aurium humor, circa umbilicum inflammations exerceant.

PROPRIA etiam dentientium : gingivarum exulcerationes, distensiones nervorum, febriculae, alvi dejectiones, maximèque caninis dentibus orientibus, malè habent : quæ pericula plenissimi cujusque sunt, & cui maximè venter adstrictus est. At ubi ætas paullum processit, GLANDULÆ & vertebrarum quæ in spina sunt, aliquæ inclinationes, strumæ, verrucarum quædam genera dolentia, *ακροχόδαις* Græci appellant, & plura alia tubercula oriuntur. INCIPIENTE VERO jam pube, ex iisdem multa, & longæ febres, & sanguinis ex nari bus cursus.

Maximè quoque omnis Pueritia, primùm circa quadragesimum diem ; dein septime mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem pericitatur. SI QUA etiam GENERA morborum in infantem incidérunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in femina primis menstruis finita sunt, ferè longa sunt : saepius tamen his morbi pueriles qui diutius transérunt, terminantur.

ADOLESCENTIA morbis acutis, item comitilibus tabique maximè objecta est : ferèque juvenes sunt qui sanguinem expuunt. Post hanc ætatem laterum & pulmonis dolores, lethargus, cholera, insania, sanguinis per quædam etiam velut ora venarum, *αἷμοφόδαις* Græci appellant, profusio.

IN SENECTUTE, spiritus & urinæ difficultas, gravedo, articulorum & renum dolores, nervorum resolutiones, malus corporis habitus, *ναχεξία* Græci appellant, nocturnæ vigiliae, vitia longiora

aurium , oculorum , etiam narium ; præcipueque soluta alvus , &c , quæ sequuntur hanc , tormina , vel levitas intestinorum cæteraque fusi ventris mala. Præter hæc graciles tabes , dejectiones , distillationes , item viscerum & laterum dolores , fatigant. Obesi plerumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulantur , subitōque sæpe moriuntur : quod in corpore tenuiore vix evenit.

C A P U T P R I M U M.

Aliquid hic deesse videtur.

SECTIO I. Ante adversam autem valetudinem , ut supra dixi , quædam notæ oriuntur , quarum omnium commune est , aliter se corpus habere atque consuevit ; neque in pejus tantum , sed etiam in melius. Ergo si plenior aliquis , & speciosior , & coloratior factus est , suspecta habere bona sua debet : quæ , quia neque in eodem habitu subsistere , neque ultra progredi possunt , ferè retro quasi ruinâ quadam revolvuntur. Pejus tamen signum est , ubi aliquis contra consuetudinem emacuit , & colorem decorumque amisit : quoniam in his quæ superant , est quod morbus demat ; in his quæ desunt , non est quod ipsum morbum ferat.

Præter hæc protinus timeri debet , si graviora membra sunt , si crebra ulcera oriuntur , si corpus supra consuetudinem incaluit , si gravior somnus pressit , si tumultuosa somnia fuerunt , si sæpius expurgiscitur aliquis quam assuevit , deinde iterum

soporatur ; si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem insudat , maximèque si circa pectus aut cervicēs , aut crura vel genua vel coxas : item si marcat animus , si loqui & moveri piget , si corpus torpet ; si dolor præcordiorum est , aut totius pectoris , aut , qui in plurimis evenit , capitīs ; si salivæ plenum est os , si oculi cum dolore vertuntur , si tempora adstricta sunt , si membra inhorrescunt , si spiritus gravior est ; si circa frontem intentæ venæ moventur , si frequentes oscitationes ; si GENUA quasi fatigata sunt , rotundus corpus lassitudinem sentit . Ex quibus sæpe plura , numquam non aliqua , febrem antecédunt . In primis tamen illud considerandum est , num cui sæpius horum aliquid eveniat , neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur . Sunt enim quædam proprietates hominum , sine quarum notitiâ non facilè quicquam in futurum præsagiri potest . Facilè itaque securus est in his aliquis , quæ sæpe sine periculo evasit : ille sollicitari debeat , cui hæc nova sunt ; aut qui ista numquam sine custodiâ sui tuta habuit .

SECT. II. Ubi verò febris aliquem occupat , scire licet non periclitari , si in latus aut dextrum aut sinistrum , ut ipsi visum est , cubat , cruribus paullum reductis ; qui ferè sani quoque jacentis habitus est ; si facilè convertitur , si noctu dormit , si interdiu vigilat , si ex facilè spirat , si non conflittatur ; si CIRCA umbilicum & pubem cutis plana est ; si præcordia ejus sine ullo sensu doloris æqualiter mollia in utraque parte sunt : quod si paullo tumidiora sunt .

sed tamen digitis cedunt & non dolent , hæc valetudo , ut spatiū aliquod habebit , sic tuta erit . Corpus quoque , quod æqualiter molle & calidum est , quodque æqualiter totum insudat , & cuius FEBRICULA eo sudore finitur , securitatem pollicetur .

Quando jam ad sanitatem venit corpus , sternamentum etiam inter bona indicia est , & CUPIDITAS cibi vel a primo servata , vel etiam post fastidium orta . Neque terrere debet ea febris quæ eodem die finita est ; ac ne ea quidem , quæ , quamvis longiore tempore tenuit , tamen ante alteram accessionem ex toto quievit , sic ut corpus integrum , quod εὐλατός Græci vocant , fieret . Si quis autem incidit vomitus , mistus esse ex bile & pituitâ debet , & in urina subsidere album , lève , æquale ; sic ut etiam , si quæ quasi nubecula innarant , in imum deferantur ; ac venter ei qui a periculo tutus est , reddere mollia , figurata , atque eodem ferè tempore quo secundâ valetudine assuevit , modò convenientia his quæ assumuntur .

Pejor cita alyus est : sed ne hæc quidem terrere protinus debet , si matutinis temporibus contrâcta magis est , aut si , procedente tempore , paullatim contrahitur & rufa est , neque foeditate odoris similem alvum sani hominis excedit . Ac LUMBRICOS quoque aliquos sub finem morbi descendisse nihil nocet . Si inflatio sine inflammatione in superioribus partribus dolorem tumoremque fecit , bonum signum est sonitus ventris inde ad inferiores partes devolutus ; magisque etiam si sine difficultate cum stercore excessit .

SECT. III.

SECT. III. Contra gravis morbi periculum est, ubi supinus æger jacet, porrectis manibus & cruribus: ubi residere vult in ipso acuti morbi impetu, præcipueque pulmonibus laborantibus: ubi nocturnâ vigiliâ premitur etiam si interdiu somnus accedit; ex quo tamen pejor est qui inter quartam horam & noctem, quâm qui a matutino tempore ad quartam. Pessimum tamen est, si somnus neque noctu neque interdiu accedit: id enim FERÈ sine continuo delirio esse non potest. Aequè vero signum malum est, etiam SOMNO ultra debitum urgéri: pejusque, quo magis sopor interdiu noctuque continuat.

Mali etiam morbi testimonium est, VEHEMENTER & crebrò spirare, a sexto die cœpisse inhorrescere, pus exspuere, vix exscreare, dolorem habere continuum, difficulter ferre morbum, jactare brachia & crura, sine voluntate lacrimare; habere humorem glutinosum dentibus inhærentem, cutrem circa umbilicum & pubem macram; præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta; magisque, si haec dextrâ parte quâm sinistrâ sunt: periculosissimum tamen est, si venæ quoque ibi vehementer agitantur.

Mali etiam morbi signum est, nimis celeriter emacescere: CAPUT ET pedes manusque frigidas habere, ventre & lateribus calentibus; aut FRIGIDAS EXTREMAS partes acuto morbo urgente; aut POST SUDOREM inhorrescere; aut POST VOMITUM singultum esse, vel rubore oculos: aut POST CUPIDITATEM cibi postve longas febres hunc fastidire; aut multum sudare, maximèque fri-

gido sudore ; aut habere sudores non per totum corpus æquales , quique febrem non finiant.

Malæ etiam febres , quæ quotidie tempore eodem revertantur ; quæve semper pares accessiones habeant , neque TERTIO QUOQUE die leventur ; quæve sic continuent , ut per accessiones increscant , per decessiones tantum molliantur , nec umquam integrum corpus dimittant. Pessimum est , si ne levatur quidem febris , sed æque concitata continuat. Periculoso est etiam , POST ARQUATUM morbum febrem oriri ; utique si præcordia dextrâ parte dura manserunt , aut dolentibus iis lœva. Nulla acutæ febris leviter terrere nos debet ; neque umquam in acutâ febre aut a somno non EST TERRIBILIS nervorum distentio. TIMERE etiam ex somno mali morbi est : itemque in primâ febre protinus mentem esse turbaram , membrumve aliquod esse resolutum ; ex quo casu , quamvis vita redditur , tamen id ferè membrum debilitatur.

VOMITUS etiam periculosus est sinceræ pituitæ vel bilis ; pejorque , si viridis aut niger est.

At mala urina est , in qua subsidunt subruba aut livida ; deterior , in qua quasi fila quedam tenuia atque alba : pessima ex his , si tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræsentat. Diluta quoque atque alba vitiosa est , sed in PHRENETICIS maximè.

Alvus autem mala est ex toto suppressa : periculosa etiam , quæ inter febres fluens conquiescere hominem in cubili non patitur ; utique , si quod descendit , est perliquidum , aut albidum , aut pallidum , aut spumans. Præter hæc pericu-

īum ostendit id quod excernitur , si est exiguum , glutinosum , lēve , album , idemque subpallidum : vel si est aut lividum , aut biliosum , aut cruentum , aut pejoris odoris quām ex consuetudine . MALUM est etiam , quod post febres longas sin-
querum est .

SECT. IV. Post hæc indicia notum est longum morbum fieri ; sic enim necesse est , nisi occidit . Neque vitæ alia spes in malis magnis est , quām ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat , porrigaturque in id tempus , quod curationi locum præstet .

Protinus tamen signa quædam sunt , ex quibus colligere possumus , morbum , etsi non interemerit , longius tamen tempus habiturum . Ubi FRIGIDUS SUDOR inter febres non acutas circa caput tantum & cervices oritur ; aut ubi , febre non quiescente , corpus insudat ; aut UBI CORPUS modò calidum est , & color aliis ex alio fit ; aut ubi , QUOD INTER febres aliquâ parte abscessit , ad sanitatem non pervenit ; aut ubi æger pro spatio parum emacrescit : item , si URINA modò liquida & pura est , modò habet quædam subsidentia ; si lèvia atque alba rubrave sunt , quæ in ea subsidunt ; aut si quasdam quasi miculas repræsentat ; aut si bullulas excitat .

SECT. V. Sed inter hæc quidem , proposito metu , spes tamen super est : ad ultima verò jam ventum esse testantur nares acutæ , collapsa tempora , oculi concavi , frigidæ languidæque aures & imis parzibus leniter versæ , cutis circa frontem dura & intenta , color aut niger aut perpallidus . Multo-

que magis , si ita hæc sunt , ut neque vigilia præcesserit , neque ventris resolutio , neque inedia . Ex quibus caassis interdum hæc species oritur , sed uno die finitur : itaque diutius durans mortis index est .

Si verò in morbo vetere jam triduo talis est , in propinquo mors est : magisque , si præter hæc oculi quoque lumen refugiunt & illacrimant ; quæque in iis alba esse debent , rubescunt ; atque in iisdem venulæ pallent , pituitaque in iis innatans novissimè angulis inhærescit ; alterque ex his minor est : iique aut vehementer subsedérunt , aut facti tumidiōres sunt ; perque somnum PALPEBRAE non committuntur , sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet , neque id fluens alvus expressit : eademque palpebrae pallent , & idem PALLOR LABRA & nares decolorat : eademque labra & nares , oculique & palpebræ , & supercilia aliquaye ex his pervertuntur ; isque propter imbecillitatem jam non audit , aut non vider.

Eadem mors denunciatur , ubi æger supinū cubat , eique genua contracta sunt : ubi deorsum ad pedes subinde delabitur : ubi brachia & crura nudat & inæquabiliter dispergit , neque iis calor subest : ubi hiat : ubi assidue dormit : ubi is qui mentis suæ non est , neque id facere sanus solet , dentibus stridet : ubi ulcus , quod aut ante aut in ipso morbo natum est , aridum , & aut pallidum aut lividum factum est .

Illa quoque mortis indicia sunt , UNGUES digiti que pallidi , FRIGIDUS SPIRITUS ; aut si manus quis in febre & acuto morbo , vel insaniam

pulmonisve dolore vel capit is , in veste FLOCCOS
LEGIT , fimbriasve diducit ; vel in adjuncto pa-
riete , si qua minuta eminent , carpit. DOLORES
etiam circa coxas & inferiores partes orti , si ad
viscera transierunt , subitoque desierunt , mortem
subesse testantur ; magisque , si alia quoque signa
accesserunt.

Neque is servari potest , qui sine ullo tumore
febricitans , subito strangulatur , aut devorare sali-
vam suam non potest : cuive in eodem febris cor-
porisque habitu CERVIX convertitur sic , ut devo-
rare æquè nihil possit : aut cui simul & continua
febris & ultima corporis infirmitas est : aut cui ,
febre non quiescente , EXTERIOR PARS friget ,
interior sic calet ut etiam sitim faciat : AUT QUI ,
febre æquè non quiescente , simul & delirio &
spirandi difficultate vexatur : aut qui , EPOTÆ
VERATRO , exceptus distentione nervorum est :
aut qui ebrius obmutuit. Is enim ferè NERVORUM
distentione consumitur , nisi aut febris accessit ,
aut eo tempore quo ebrietas solvi debet , loqui
cœpit.

Mulier quoque GRAVIDA ACUTO morbo facilè
consumitur ; & is CUI SOMNUS dolorem auget ;
& cui protinus in recenti morbo BILIS ATRA vel
infra vel supra se ostendit ; cuive alterutro modo
se promisit , quum jam longo morbo corpus ejus
esset extenuatum & affectum.

SPUTUM etiam biliosum & purulentum , sive
separatim ista sive mista proveniunt , interitus
periculum ostendunt. Ac si circa septimum diem
tale esse cœpit , proximum est , ut is circa quar-

tum decimum diem decedat; nisi alia signa meliora pejorave accesserint: quæ quo leviora graviorave subsecuta sunt, eo vel seriorem mortem vel matu-
riorem denunciant.

Sudor quoque frigidus in acutâ febre pestiferus est: atque in omni morbo vomitus, qui varius & multorum colorum est; præcipueque si malus in hoc odor est. Ac SANGUINEM quoque in febre vo-
misse pestiferum est.

Urîna verò fulva & tenuis in magnâ cruditate esse consuevit; & sæpe, ante quam spatio matu-
rescat, hominem rapit: itaque si talis diutius per-
manet, periculum mortis ostendit. Pessima tamen est præcipueque mortifera, nigra, crassa, mali
odoris: atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima est: in pueris verò, quæ tenuis & di-
luta est.

Alvis quoque varia pestifera est; & quæ strig-
gumentum, sanguinem, bilem, viride aliiquid, modò diversis temporibus, modò simul, & in misturâ quadam, discreta tamen repræsentat. Sed hæc quidem potest paullo diutius trahere: in præ-
cipiti verò jam esse denunciat, quæ liquida eademque vel nigra, vel pallida vel pinguis est; utique, si magna fœditas odoris accessit.

Illud interrogari me posse ab aliquo scio; si certa futuræ mortis incidia sunt, quo modo inter-
dum deserti a medicis convalescant, quosdarnque fama prodiderit in ipsis funeribus revixisse? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse propo-
suit, quibus medici credidissent: adeò illud non

relîquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent. Adversus quos ne illud quidem dicam, quod in vicino s̄æpe quædam nota positæ non bonos, sed imperitos medicos decipiunt (quod Asclepiades sciens, funeri obvius intellexit eum vivere qui efferebatur:) nec protinus crimen artis esse, si quod professoris sit. Illa tamen moderatiū subjiciam: conjecturalem artem esse medicinam; rationemque conjecturæ talēm esse, ut, quum s̄æpius aliquid responderit, interdum tamen fallat. Non itaque, si quid vix millesimo in corpore aliquem decipit, id fidem non habet, quum per innumera biles homines respondeat. Idque non in his tantum quæ pestifera sunt, dico; sed in his quoq̄ue quæ salutaria: siquidem etiam spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit: quæque medendi caussâ reperta sunt, non numquam in pejus aliquid convertunt: neque id evitare humana imbecillitas in tantâ varietate corporum potest. Sed est tamen medicinæ fides, quæ multo s̄æpius, perque multo plures ægros prodest: neque tamen ignorare oportet, in ACUTIS MORBIS fallaces magis notas esse & salutis & mortis.

SECT. VI. Sed quum proposuerim signa, quæ in omni adversâ valetudine communia esse consueverunt; ad ea quoque transibo, ut, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit notas, indicem. Quædam autem sunt quæ ante febres, quædam quæ inter eas, quid aut intus sit, aut venturum sit, ostendunt.

Ante febres, si caput grave est, aut ex somno

oculi caligant , aut frequentia sternutamenta sunt , circa caput aliquis pituitæ impetus timeri potest.

Si sanguis aut calor abundat , proximum est , ut aliquâ parte profluviu m sanguinis fiat.

Si sine causa quis emacrescit , ne in malum habitum corpus ejus recidat , metus est.

Si præcordia dolent , aut inflatio gravis est , aut toto die non concocta fertur urina , cruditatem esse manifestum est.

Quibus diu color sine morbo regio malus est , hi vel capit is doloribus conflictantur , vel terrana edunt.

Qui diu habent faciem pallidam & tumidam ; aut capite , aut visceribus aut alvo laborant.

Si in continuâ febre puero venter nihil reddit , mutaturque ei color , nec somnus accedit , plorat que is assidue , metuenda nervorum distentio est. Frequens autem destillatio in corpore tenui longoque , tabem timendam esse testatur. Ubi pluribus diebus non descendit alvus , docet aut subitam dejectionem aut febriculam instare.

Ubi pedes turgent , longæ dejectiones sunt : ubi dolor in imo ventre & coxis est , aqua inter cutem instat : sed hoc morbi genus ab ilibus oriri solet. Idem propositum periculum est his , quibus , quum voluntas desideri est , venter nihil reddit nisi & ægre & durum.

Quum tumor in pedibus est , idemque modò dextrâ modò sinistrâ parte ventris in vicem oritur atque finitur , a jecinore id malum profici sci videtur. Ejusdem morbi nota est , ubi circa umbilicum intestina torquentur , σφόροι Græci nominant , co-

xæque dolores manent , qui neque tempore neque remediis solvuntur.

Dolor autem articulorum , prout in pedibus manibusve aut aliâ qualibet parte sic est , ut eo loco nervi contrahantur ; aut si id membrum ex levi caussâ fatigatum , æquè frigido calidoque offenditur , podagram chiragramve vel ejus articuli in quo id sentitur , morbum futurum esse denunciat.

Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit , dein fluere desiit , hi vel capit is doloribus conflictentur necesse est , vel in articulis aliquas exulcerationes graves habeant , vel aliquo morbo etiam debilitentur.

QUIBUS FEMINIS menstrua non proveniunt , necesse est capit is acerbissimi dolores sint , vel quælibet alia pars morbo infestetur . Eademque his pericula sunt , quibus articulorum vitia , ut dolores tumoresque , sine podagra similibusque morbis oriuntur & desinunt : utique , si sæpe tempora iisdem dolent noctuque corpora insudant , si frons prurit , lippitudinis metus est.

Si mulier a partu vehementes dolores habet , neque alia præterea signa mala sunt , circa vicesimum diem aut sanguis per nares erumpet , aut inferioribus partibus aliquid abscedet.

Quicumque etiam dolorem ingentem circa tempora & frontem habebit , is alterutrâ ratione cum finiet , magisque si juvenis erit per sanguinis profusionem ; si senior per suppurationem .

Febris autem quæ subito sine ratione , sine bonis signis finita est , ferè revertitur .

Cui fauces sanguine & interdiu & noctu replentur sic , ut neque capitis dolores neque præcordiorum , neque tussis , neque vomitus , neque febricula præcesserit , hujus aut in naribus aut in fauicibus ulcus reperietur.

Si mulieri ex inguine febricula orta est , neque cauſa apparet , ulcus in vulva est.

URINA autem crassa , ex qua quod desidet , album est , significat circa articulos aut circa viscera dolorem metumque morbi esse. Eadem viridis , aut viscerum dolorem tumoremque cum aliquo periculo subesse , aut corpus certe integrum non esse , testatur : ac si SANGUIS aut pus in urina est , vel vesica vel renes exulcerati sunt. Si haec crassa CARUNCULAS quasdam exigua aut quasi capillos habet , aut si bullat & male olet , & interdum quasi arēnam interdum quasi sanguinem trahit , dolent autem coxae quæque inter has superque pubem sunt , & accedunt frequentes ruetus , interdum vomitus biliosus ; extremæque partes frigescunt , urinæ crebra cupiditas , sed magna difficultas est , & quod inde excretum est , aquæ simile , vel rufum vel pallidum est , paullum tamen in eo levamenti est , alvus verò cum multo spiritu redditur , utique in renibus vitium est. At si paullatim destillat , vel si sanguis per hanc editur , & in eo quædam cruenta concreta sunt , idque ipsum cum difficultate redditur , & circa pubem interiores partes dolent , in eadem vesicâ vitium est.

Calculosi verò bis indiciis cognoscuntur. Difficulter urina redditur paullatimque ; interdum

etiam sine voluntate destillat : eadem arenosa est : non numquami aut sanguis , aut cruentum , aut purulentum aliquid cum ea excernitur : eamque quidam promptius recti , quidam resupinati , maximèque hi qui grandes calculos habent ; quidam etiam inclinati reddunt , colemque extendendo dolorem levant. Gravitatis quoque cujusdam in eâ parte sensus est ; atque ea cursu omnique motu augêtur. Quidam etiam , quum torquentur , pedes inter se , subinde mutatis vicibus , implicant. Feminae verò oras naturalium suorum manibus admotis scabere crebrò coguntur : non numquam , si digitum admoverunt , ubi vesicæ cervicem iurget , calculum sentiunt. At qui spumantem sanguinem exscreant , iis in pulmone vitium est.

MULIERI gravidæ sine modo fusa alvus elidere partum potest. Eadem si lac ex mammis profluit , imbecillum est quod intus gerit. Duræ mammæ sanum illud esse testantur.

FREQUENS singultus , & præter consuetudinem continuus , jecur inflammatum esse significat.

SI TUMORES super ulcera subito esse desierunt , idque a tergo incidit , vel distentio nervorum , vel rigor timeri potest : at si a priore parte id evenit , vel lateris acutus dolor , vel insania expectanda est. Interdum etiam hujus modi casum , quæ tutissima inter hæc est , profusio alva sequitur.

SI ORA venarum , sanguinem solita fundere , subito suppressa sunt , aut aqua inter cutem , aut tabes sequitur. EADEM tabes subit , si in lateris dolore orta suppuratio intra quadraginta dies put-

gari non potuit. At si LONGA tristitia cum longo timore & vigiliâ est, atræ bilis morbus subest.

Quibus sæpe ex naribus fluit sanguis, iis aut liènis tumet, aut capitis dolores sunt, quos sequitur, ut quædam ante oculos tamquam imagines obversentur. At quibus magni liènes sunt, iis gingivæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliquâ parte prorumpit: quorum si nihil evenit, necesse est in cruribus mala ulceræ, & ex his nigræ cicatrices fiant.

QUIBUS causa doloris, neque sensus ejus est, iis mens labat. Si in ventrem sanguis confluxit, ibi in pus vertitur. Si a coxis & ab inferioribus partibus dolor in pectus transit, neque ullum signum malum accessit, suppurationis eo loco periculum est. Quibus sine febre aliqua ex parte dolor aut prurigo cum rubore aut calore est, ibi aliquid suppurat. Urîna quoque, quæ in homine parvæ sano liquida est, circa aures futuram aliquam suppurationem esse denunciat.

Hæc verò, quum sine febre quoque vel latentium vel futurarum rerum notas habeant, multò certiora sunt, ubi febris accessit; atque etiam aliorum morborum tum signa nascentur.

Ergo protinus insania timenda est, ubi expeditior alicujus, quam sani fuit, sermo est, subitaque loquacitas orta est, & hæc ipsa solito audacior: aut ubi raro quis & vehementer spirat, venasque concitatas haber, præcordiis duris & tumentibus. Oculorum quoque frequens motus; & in capitis dolore offusæ oculis tenebræ: vel, nullo dolore substante, somnus creptus, conti-

Nuataque nocte & die vigilia, vel prostratum contra consuetudinem corpus in ventrem, sic ut ipsius alvi dolor id non coegerit; item robusto adhuc corpore, insolitus dentium stridor, insanæ signa sunt. Si quid etiam abscessit, & ante quam suppurrat, manente adhuc in corpore solita febre, subsedit, periculum affert primum furoris, deinde interitus. Auris quoque dolor acutus cum febre continuâ vehementique, saepe mentem turbat: & ex eo casu juniores interdum intra septimum diem moriuntur; seniores tardiùs quoniam neque æquè magnas febres experiuntur, neque æquè insaniunt: ita sustinent, dum is affectus in pus vertatur. SUFFUSÆ quoque sanguine mulieris mammæ furorem venturum esse testantur.

QUIBUS autem longæ febres sunt, iis aut abscessus aliqui, aut articulorum dolores erunt.

Quorum faucibus in febre illiditur spiritus, instat iis nervorum distentio. SI ANGINA subito finita est, in pulmonem id malum transit; idque saepe intra septimum diem occidit. Quod nisi incidat, sequitur, ut aliqua parte suppüret.

Denique POST ALVÌ longam resolutionem tormina, post hæc intestinorum levitas oritur. Post nimias destillationes, tabes: POST LATÉRIS dolorem vitia pulmonum: POST HÆC insania: POST MAGNOS fervores corporis nervorum rigor aut distentio. UBI CAPUT vulneratum est, deliriū: UBI VIGILIA torsit, nervorum distentio: UBI vehementer venæ supra ulcera moventur, sanguinis profluviū erit.

Suppuratio verò pluribus modis excitatur: nam

si longæ febres sine dolore , sine manifestâ caussâ remanent , in aliquam partem id malum incumbit , sed in junioribus tantùm : nam in senioribus ex ejus modi morbo quartana ferè nascitur.

Eadem suppuratio fit , si præcordia dura & dolentia ante diem vicesimum hominem non sustulerunt , neque sanguis ex naribus fluxit , maximèque in adolescentibus ; utique , si inter principia aut oculorum caligo aut capitis dolores fuérunt : sed tum in inferioribus partibus aliquid abscedit.

At si præcordia tumorem mollem habent , neque habere intra sexaginta dies desinunt , hæretque per omne id tempus febris , tum in superioribus partibus fit abscessus : ac , si inter ipsa ulcera non fuit , circa aures erumpit . Quumque omnis longus tumor ad suppurationem ferè speget , magis eò tendit is qui in præcordiis , quàm is qui in ventre est ; & is qui supra umbilicum , quàm is qui infra est . Si lassitudinis etiam sensus in febre est , vel in maxillis vel in articulis aliquid abscedit . INTERDUM quoque urina tenuis & cruda sic diu fertur , ut alia salutaria signa sint , exque eo casu plerumque infra transversum septum (quod διαφράγμα Græci vocant) fit abscessus .

Dolor autem pulmonis , si neque per sputa , neque per cucurbitulas , neque per sanguinis detractionem , neque per victus rationem finitus est , vomicas alias interdum excitat aut circa vicesimum diem , aut circa tricesimum , aut circa quadragesimum , non numquam etiam circa sexagesimum . Numerabitur autem ab eo die quo pri-

num febricitavit aliquis , aut inhorruit , aut gravitatem ejus partis sensit . Sed hæ vomicæ modo a costarum parte nascuntur : quod suppurrat , ab eâ parte quam afficit , dolorem inflammationemque concitat : ipsum calidius est : & si in partem sanam aliquis decubuit , onerare eam ex pondere aliquo videtur .

Omnis etiam SUPPURATIO , quæ nondum oculis pater , sic deprehendi potest ; si febris non dimittit , eaque interdiu levior est , noctu increscit ; multus sudor oritur ; cupiditas tussiendi est , & pæne nihil in tussi exscreatur ; oculi cavi sunt , malæ rubent , venæ sub lingua inalbescunt , in manibus fiunt adunci ungues , digiti maximèque summi pallent ; in pedibus tumores sunt , spiritus difficultius trahitur , cibi fastidium est , pustulæ toto corpore oriuntur . Quod si protinus initio dolor & tussis fuit , & spiritus difficultas ; vomica vel ante vel circa vicesimum diem erumpet : si seriùs ista cœperint , necesse est quidem increscant , sed quo minus citò affecerint , eo tardiùs solventur . Solent etiam in gravi morbo pedes cum digitis unguibusque nigrescere : quod si non est mors consecuta & reliquum corpus invaluit , pedes tamen decidunt .

SECT. VII. Sequitur , ut in quoque morbi genere proprias notas explicem , quæ vel spem vel periculum ostendant .

Ex vesicā dolente , si purulenta urīna processit , inque ea lève & album subsedit , metum detrahit .

In pulmonis morbo , si sputo ipso levatur dolor , quamvis id purulentum est , tamen si æger

facilè spirat, facilè exscreat, si morbum ipsum non difficulter fert; potest ei secunda valetudo contingere. Neque inter initia terreri convenit, si protinus sputum mistum est rufo quodam & sanguine, dum modò statim edatur.

LATERUM dolores, suppuratione facta, deinde intra quadragesimum diem purgata, finiuntur.

SI IN JECINORE vomica est, & ex ea fertur pus purum & album, salus ei facilis: id enim malum in tunica est.

Ex suppurationibus verò hæ tolerabiles sunt, quæ in exteriorem partem feruntur, & acuuntur. At ex his quæ intrò procédunt, hæ leviores, quæ contra se cutem non afficiunt, eamque & sine dolore & ejusdem coloris, cuius reliquæ partes sunt, sinunt esse.

Pus quoque, quacumque parte erumpit, si est lève, album & unius coloris, sine ullo metu est; &, quo effuso, febris protinus conquievit, desieruntque urgere cibi fastidium & potionis desiderium. Si quando etiam suppuratio descendit in crura, sputumque ejusdem factum pro rufo purulentum est, periculi minus est.

At in tabe ejus qui salvis futurus est, sputum esse debet album, æquale totum ejusdemque coloris, sine pirituita: eique etiam simile esse oportet, si quid in nares a capite destillat. Longè optimum est febrem omnino non esse: secundum est tantillam esse, ut neque cibum impedit, neque crebram sitim faciat. Alvis in hac valetudine ea tuta est, quæ quotidie coacta, eaque convenientia his quæ assumuntur, reddit: co-

pus id quod minimè tenue, maximèque lati pectoris atque setosi est, cuiusque cartilago exigua & carnosa est.

Super tabem si mulieri quoque suppressa menstrua fuérunt, & circa pectus atque scapulas dolor mansit, subitoque sanguis erūpit, levari morbus solet: nam & tussis minuitur, & sitis atque febriculae desinunt: sed iisdem ferè, nisi redit sanguis, vomica crumpit: quæ quo cruentior, eo melior est.

Aqua autem inter cutem minimè terribilis est, quæ, nullo antecedente morbo, cœpit: deinde quæ longo morbo supervenit; utique, si firma viscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore corpus est, æqualiterque in extrémis partibus macrum; si venter mollis, si nulla tussis, nulla sitis; si lingua ne per somnum quidem inarescit; si cibi cupiditas est; si venter medicamentis movetur; si per se excernit mollia & figurata; si non extenuatur; si urina & vini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis, mutatur; si corpus sine lassitudine est, & motum facilè sustinet: si quidem in quo omnia hæc sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bonâ spe est.

Articulorum verò vitia, ut podagræ chiragræque, si juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, solvi possunt: maximèque torminiibus leniuntur, & si ex quocumque modo venter fluit.

Item MORBUS comitialis ante pubertatem ortus, non ægre finitur; & in quo ab unâ parte corporis venientis accessionis sensus incipit. Optimum

est a manibus pedibusve initium fieri , deinde
a lateribus : pessimum inter haec a capite . Atque
in his quoque ea maximè prosunt , quæ per deje-
ctiones excernuntur .

Ipsa autem dejectio sine ulla noxâ est , quæ
sine febre est ; si celeriter desinit , si , contrectato
ventre , nullus motus ejus sentitur ; si extremam
alvum spiritus sequitur .

Ac ne tormina quidem periculosa sunt , si san-
guis & strigmenta descendunt , dum febris cæte-
raque accessiones hujus morbi absint : adeò ut
etiam gravida mulier , non solum reservari possit ,
sed etiam partum reservare : prodestque in hoc
morbo , si jam ætate aliquis processit .

Contra intestinorum levitas facilius a teneris
æstatibus depellitur : utique , si ferri urina , &c ali-
cibo corpus , incipit .

Eadem ætas prodest & in coxae dolore & hu-
merorum , & in omni resolutione nervorum : ex
quibus coxa , si sine torpore est , si leviter friget ,
quamvis magnos dolores habet , tamen & facile
& mature sanatur : resolutumque membrum , si
nihilominus alitur , fieri sanum potest .

Oris resolutio etiam alvo citâ finitur : OMNIS-
QUE dejectio lippienti prodest .

At VARIX ortus , vel per ora venarum subita
profusio sanguinis , vel tormina , insaniam tol-
lunt .

Humerorum dolores , qui ad scapulas vel ma-
nus tendunt , vomitu atræ bilis solvuntur : &
quisquis dolor deorsum tendit , sanabilior est .

SINGULTUS sternutamento finitur .

LONGAS dejectiones suppressit vomitus.

MULIER sanguinem vomens, profusis menstruis, liberatur.

QUÆ MENSTRUIS non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat.

QUÆ LOCIS laborat, aut difficulter partum edit, sternutamento levatur.

CUI CALOR & tremor est, saluti delirium est.

LEIENOSIS bono termina sunt. Denique, ipsa febris, quod maximè mirum videri potest, saepè præsidio est. Nam & PRÆCORDIORUM dolores, si sine inflammatione sunt, finit; & IN JECTINORIS dolore succurrit: & NERVORUM distensionem rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit; & ex difficultate urinæ morbum tenuioris intestini ortum, si urinam per calorem movet, levat.

AT DOLORES capitis, quibus oculorum caligo & rubor cum quadam frontis prurigine accédunt, sanguinis profusione vel fortuitâ vel etiam petitâ, summoventur. Si capitis ac frontis dolores ex vento, vel frigore aut æstu sunt, gravedine & sternutamentis finiuntur.

FEBREM autem ardentem, quam Græci καυποδη vocant, subitus horror exsolvit. Si ubi in febre aures obtuse sunt, si sanguis e naribus fluxit, aut venter resolutus est, illud malum desinit ex toto.

NIHIL plus adversùs surditatem, quam biliosa alvus, prodest.

Quibus IN FISTULA urinæ minuti abscessus, quos εμπτε Græci vocant, esse cœperunt; iis, ubi pus eâ parte profluxit, sanitas redditur. Ex

quibus quum pleraque per se proveniant, scire licet, inter ea quoque quæ ars adhibet, Naturam plurimum posse.

Contra, si caput in febre continentis dolet, neque quicquam remittit, malum atque mortificum est: maximèque id periculum est pueris a septimo anno ad quartum decimum.

In pulmonis morbo, si sputum primis diebus non fuit, deinde a septimo die cepit, & ultra septimum maneat, periculosum est: quantòque magis mistos neque inter se diductos colores habet, tanto deterius. Et tamen nihil pejus est quam sincerum id edi, sive rufum est, sive cruentum, sive album, sive glutinosum, sive pallidum, sive spumans: nigrum tamen pessimum est.

IN EODEM morbo periculosa sunt, ruffis, destitutio; etiam, quod alias salutare habetur, sternutamentum: PERICULOSISSIMUMQUE est, si hæc secuta subita dejectio est.

Ferè vero quæ in pulmonis, eadem in lateris doloribus & mitiora signa, & asperiora esse consuerunt.

Ex jecinore si pus cruentum exit, mortificum est.

At ex suppurationibus hæc pessimæ sunt, quæ intus tendunt, sic ut exteriorem quoque cutem decolorent: ex his deinde, quæ in exteriorem partem prorumpunt; quæ maximæ, quæque planissimæ sunt. Quod si, ne ruptâ quidem vomicâ, vel pure extrinsecus emissio, febris quièvit, aut quamvis quievit, tamen repetit; item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus

est lividum & pallidum , si nihil æger exscreat nisi pituitam spumantem , periculum certum est . Atque ex his quidem suppurationibus , quas putmonum morbi concitarunt , ferè senes moriuntur : ex cæteris juniores .

At in tæbe sputum mitum purulentum , febris affida , quæ & cibi tempora eripit , & siti affigit , in corpore renui periculum subesse testatur . Si quis etiam in eo morbo diutius traxit , ubi capilli fluunt , ubi urina quedam araneis similia subsidentia ostendit ; atque IN SPUTIS odor fœdus est ; maximèque ubi post hæc orta dejectio est , protinus moritur : UTIQUE si tempus autumni est , quo ferè , qui cæterâ parte anni traxerunt , resolvuntur . Item PUS EXSPUISSE in hoc morbo , deinde ex toto spuere desiisse , mortiferum est . Solet etiam in adolescentibus is morbus ex vomica fistulave oriri : qui non facilè sanescunt , nisi si multa signa bonæ valetudinis subsecuta sunt . Ex reliquis verò minimè facilè sanantur viginis , aut eæ mulieres quibus super tabem menstrua suppressa sunt .

Cui verò SANÒ subitus dolor capitis ortus est , dein somnus oppressit sic ut stertat , neque expurgiscatur , intra septimum diem pereundum est : magis si , quum alvus circa non antecesserit , palpebrae dormientis non coëunt , sed album oculorum apparet . Quos tamen ita mors sequitur , si id malum non est febre discussum .

Aqua inter cutem , si ex acuto morbo cœpit , ad sanitatem raro perducitur ; utique , si contraria his quæ supra posita sunt , subsequuntur . Aequæ

IN EA quoque tussis spem tollit item, si sanguis sursum deorsumve erūpit, & aqua medium corpus implevit. Quibusdam etiam in hoc morbo tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt: hi quidem tutiores sunt, quam qui supra comprehensi sunt, si attenduntur: sed ferè fiduciā secundæ valetudinis opprimuntur.

Illud jure aliquis mirabitur, quomodo quædam simul & affligant nostra corpora, & parte aliquâ tueantur: nam sive aqua inter cutem quem implavit, sive **I**N MAGNO abscessu multum puris coit, simul id omne effusisse æquè mortiferum est, ac si quis sani corporis vulnera factus exsanguis est.

Articuli verò qui sic dolent, ut super eos ex callo quædam tubercula innata sint, numquam liberantur: quæque eorum vitia, vel in senectute cœperunt, vel in senectutem ab adolescentia pervenérunt, ut aliquando leniri possunt, sic numquam ex toto finiuntur.

MORBUS quoque comitalis post annum quinum & vicesimum ortus ægre curatur: multoque ægrius is qui post quadragesimum annum cœpit; adeò ut in ea ætate aliquid in Natura spei, vix quidquam in medicinâ sit. In eodem morbo, si simul totum corpus afficitur, neque ante in partibus aliquis venientis mali sensus est, sed homo ex improviso concidit, cujuscumque is ætatis est, vix sanescit: si verò aut mens læsa est, aut nervorum facta resolutio, medicinæ locus non est.

Dejectionibus quoque si febris accessit; si inflammatio jecinoris, aut præcordiorum aut ventris, si immodica sitis, si longius tempus, si alyus

varia, si cum dolore est, etiam mortis periculum subest: maximèque, si inter hæc tormina vehementiora esse cœperunt: isque morbus maximè pueros absumit usque ad annum decimum: cæteræ ætates facilius sustinent. Mulier quoque gravida ejus modi casu rapi potest; atque, etiam si ipsa convaluit, partum tamen perdit. Quin etiam TORMINA ab atra bile orsa mortifera sunt: aut si sub his, extenuato jam corpore, subito nigra alvus profluxit.

At intestinorum levitas periculosior est, si frequens dejectio est, si venter omnibus horis & cum sono & sine hoc profluit, si similiter noctu & interdiu, si quod excernitur, aut crudum est aut nigrum, & præter id, etiam leve & mali odoris; si sitis urget, si post potionem urina non redditur (quod evenit, quia tunc liquor omnis non in vesicam, sed in intestina descendit;) si os exulceratur, si rubet facies & quasi maculis quibusdam colorum omnium distinguitur; si venter est quasi fermentatus, pinguis atque rugosus; si & cibi cupiditas non est: inter quæ quum evidens mors sit, multo evidentior est, si jam longinquum quoque id vitium est: maximè etiam, si in corpore senili est. Si verò in tenuiore intestino morbus est, VOMITUS, singultus, nervorum distentio, delirium, mala sunt.

AT IN MORBO arquato durum fieri jecur, perniciössimum est.

Quos LIENIS malè habet, si tormina prehendunt, deinde conversa sunt vel in aquam intercurem, vel in intestinorum levitatem, vix ulla medicina periculo subtrahit.

MORBUS intestini tenuioris nisi febre resolutus est, intra septimum diem occidit.

MULIER ex partu, si cum febre vehementibus etiam & assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis est.

Si dolor atque inflammatio est in his partibus, quibus viscera continentur, frequenter spirare sanguinem malum est.

Si sine caussâ longus dolor capitis est, & in cervices ac scapulas transit, rursusque in caput revertitur, aut a capite ad cervices scapulasque pervenit, perniciosus est: nisi vomicam aliquam excitavit sic ut pus extussiatur; aut nisi sanguis ex aliqua parte prorupit; aut nisi in capite multa prurigo, totove corpore pustulæ ortæ sunt. Aequè magnum malum est, ubi torpor atque prurigo pervagantur, modò per totum caput, modò in parte; aut sensus alicujus ibi quasi frigoris est, eaque ad summam quoque linguam perveniunt. Et, quum in iisdem ex abscessibus auxilium sit, eo difficilior sanitas est, quo minus sæpe sub his malis illi subsequuntur.

In coxae verò doloribus, si vehemens torpor est, frigescitque crus & coxa, alvusque nisi coacta non reddit, idque quod excernitur, mucosum est, jamque ætas ejus hominis quadragesimum annum excessit, is morbus erit longissimus, minimumque annuus; neque finiri poterit nisi aut vere aut autumno.

Difficilis aequè curatio est in eadem ætate, ubi humerorum dolor vel ad manus pervenit, vel ad scapulas tendit, torporemque & dolorem creat, neque bilis vomitu levatur.

Quacunque

Quacumque verò parte corporis membrum aliquod resolutum est , si neque movetur & emacescit , in pristinum habitum non revertitur ; eoque minus , quo vetustius id vitium est , & quo magis in corpore senili est : omnique resolutioni nervorum ad medicinam non idonea tempora sunt hiems & autumnus : aliquid sperari potest vere & æstate : hisque MORBUS mediocris vix sanatur , vehemens sanari non potest . Omnis etiam dolor minus medicinae patet , qui sursum procedit .

MULIERI gravidæ si subito mammæ emacuerunt , abortus periculum est . QUÆ NEQUE peperit , neque gravida est , si lac habet , a menstruis defœta est .

QUARTANA æstiva brevis , autumnalis ferè longa est , maximèque quæ cœpit hieme appropinquante .

Si SANGUIS profluxit , deinde secuta est dementia cum distensione nervorum , periculum mortis est : itemque , SI MEDICAMENTIS purgatum & adhuc inanem nervorum distensio oppressit ; aut si in magno dolore extremæ partes frigent .

NEQUE is ad vitam redit , qui ex suspendio , spumante ore , detractus est .

ALVUS nigra , sanguini atro similis , repentina , sive cum febre sive etiam sine hac est , perniciosa est .



C A P U T S E C U N D U M.

C O G N I T I S indiciis quæ nos vel spe conseruentur , vel metu terreant , ad curationes morborum transeundum est. Ex his quædam communnes sunt , quædam propriæ. Communes , quæ pluribus morbis opitulantur ; propriæ , quæ singularis. Ante de communib[us] dicam : ex quibus tam[en] quædam non ægros solùm , sed sanos quoque sustinent , quædam in adversa tantum valedicunt adhibentur.

Omne verò auxilium corporis , aut demit aliquam materiam , aut adjicit ; aut evocat , aut reprimit ; aut refrigerat , aut calefacit , simulque aut dūrat , aut mollit : quædam non uno modo tantum , sed etiam duobus inter se non contrariis coadjuvant.

Demitur materia sanguinis detractione , cucurbitulâ , dejectione , vomitu , frictione , gestatione , omnique exercitatione corporis , abstinentiâ , sudore : de quibus protinus dicam.

S E C T . I. Sanguinem , incisâ venâ , mitti novum non est : sed nullum pæne morbum esse , in quo non mittatur , novum est. Item mitti junioribus & feminis uterum non gerentibus , vetus est : in pueris verò idem experiri , & in senioribus , & in gravidis quoque mulieribus , vetus non est. Si quidem Antiqui primam ultimamque ætatem sustinere non posse hoc auxillii genus iudicabant ; persuaserantque sibi MULIEREM gravidam , quæ ita curata esset , abortum esse factu-

ram. Postea verò usus ostendit nihil ex his esse perpetuum , aliasque potiores observationes adhibendas esse , ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim , non quæ ætas sit , neque quid in corpore intus geratur , sed quæ vires sint. Ergo , si juvenis imbecillus est , aut si mulier quæ gravida non est , parum valet , male sanguis mittitur : emoritur enim vis , si quæ his supererat , hoc modo erecta. At firmus puer , & robustus senex , & gravida mulier valens , tutò sic curantur.

Maximè tamen in his medicus imperitus falli potest , quia fertè minus roboris illis ætatibus subest : mulierique prægnanti , post curationem quoque , viribus opus est , non tantum ad se , sed etiam ad partum sustinendum. Non quicquid aut intentionem animi aut prudentiam exigit , protinus ejiciendum est ; quum præcipua in hoc ars sit , quæ non annos numeret , neque conceptionem solam videat , sed vires aestimet , & ex eo colligat , possit nec ne superesse , quod vel puerum vel senem vel in unâ muliere duo corpora simul sustineat. Interest etiam inter valens corpus & obèsum , inter tenue & infirmum : tenuioribus magis sanguis , plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejus modi sustinent ; celeriusque eâ , qui nimium est pinguis , affligitur : ideoque vis corporis melius ex venis , quam ex ipsa specie aestimatur.

Neque solùm hæc consideranda sunt , sed etiam morbi genus quod sit : utrum superans an deficiens materia læserit ; corruptum corpus sit , an

D ij

integrum. Nam si materia vel deest , vel integrâ est , illud alienum est : at si vel copiâ sui malè habet , vel corrupta est , nullo modo me:ius succurritur. Ergo vehemens febris , ubi rubet corpus plenæque venæ tument , sanguinis detractionem requirit : item viscerum morbi , nervorumque resolutio , & rigor , & distentio ; quicquid denique fauces difficultate spiritûs strangulat , quicquid subitò suppressit vocem , quisquis intolerabilis dolor est , & quacumque de caussa ruptum aliquid intus atque collîsum est : item malus corporis habitus , omnesque acuti morbi qui modo , ut supra dixi , non infirmitate , sed onere nocent.

Fieri tamen potest , ut morbus quidem id desideret , corpus autem vix pati posse videatur : sed si nullum tamen appareat aliud auxilium , peritrusque sit qui laborat , nisi temerariâ quoque viâ fuerit adjutus , in hoc statu boni medici est ostendere , quâm nulla spes sine sanguinis detractione sit ; faterique , quantus in hac ipsa reme-
tus sit : & tum demum , si exigatur , sanguinem mittere. De quo dubitare in ejus modi re non oportet : satius est enim ancéps auxilium experiri , quâm nullum : idque maximè fieri debet , ubi nervi resoluti sunt , ubi subitò aliquis obmutuit , ubi angínâ strangulatur , ubi prioris febris accessio pâne confécit , paremque subsequi veri simile est , neque eamdem videntur sustinere ægri vires posse.

Quum sit autem minimè crudo sanguis mitten-
dus , tamen ne id quidem perpetuum est : neque enim semper concoctionem res exspectat. Ergo si ex superiore parte aliquis decidit , si contusus

erit, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, quamvis paullo ante sumsit cibum, tamen protinus ei demenda materia est, ne, si ea subsederit, corpus affligat: idemque etiam in aliis casibus repentinis qui strängulabunt, dictum erit. At si morbi ratio patietur, tum demum, nullâ cruditatis suspicione remanente, id fieri: ideoque ei rei videatur aptissimus adversæ valetudinis dies secundus, aut tertius. Sed ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic numquam utile post diem quartum est, quum jam spatio ipso materia vel exhausta est, vel corpus corruptit; ut detracatio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Quod si vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est: exspectanda ergo remissio est: si non decrescit, sed crescere desiit, si neque remissio speratur, tunc quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est.

Ferè etiam ista medicina, ubi necessaria est, in biduum dividenda est: satius est enim, primum levare ægrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusâ fortasse præcipitare. Quod si in cura quoque aquæ quæ inter cutem est, ita responder; quanto magis necesse est in sanguine respondear?

Mitti vero is debet, si totius corporis caussâ sit, ex brachio; si partis alicuius, ex eâ ipsâ parte, aut certè quam proximâ; quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachiis, juxta talos.

Neque ignoro quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde ubi lœdit, esse mittendum; sic

D iii

enim averti materiae cursum ; at illo modo in id ipsum quod gravatur , evocari . Sed id ipsum falsum est : proximum enim locum primò exhaustur ; ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur , quatenus emititur : ubi is suppressus est , quia non trahitur , ne venit quidem .

Videtur tamen usus ipse docuisse , si caput fractum est , ex brachio potius sanguinem mittendum esse : si quod in humero vitium est , ex altero brachio : credo quia , si quid parum cesserit , opportuniores haec partes injuryae sunt , quae jam male habent . Avertitur quoque interdum sanguis , ubi alià parte prorumpens , alià emititur . Desinit enim fluere quā nolumus , inde objectis quae prohibeant , alio dato itinere .

Mittere autem sanguinem quum sit expeditissimum usum habenti , tamen ignaro difficillimum est : juncta enim est vena arteriis , his nervi . Ita , si nervum scalpellus attigit , sequitur nervorum distentio , eaque hominem crudeliter consumit . At arteria incisa neque coit , neque sanescit : interdum etiam ut sanguis vehementer erumpat , efficit . Ipsius quoque venae , si forte praecisa est , capita comprimuntur , neque sanguinem emitunt . At si timidè scalpellus demittitur ; summam cutem lacerat , neque venam incidit : non numquam etiam ea later , neque facile reperitur . Ita multæ res id difficile inscio faciunt , quod perito facillimum est .

Incidenda ad medium vena est . Ex qua quum sanguis erumpit , colorem ejus habitumque oportet attendere . Nam si is crassus & niger est , vitio-

sus est; ideoque utiliter effunditur: si rubet & pellucet, integer est; eaque missio sanguinis adeo non prodest, ut etiam noceat: protinusque is supprimendus est. Sed id evenire non potest sub eo medico, qui scit ex quali corpore sanguis mittendus sit. Illud magis fieri solet, ut æquè niger assiduè ac primo die profluat: quod quamvis ita est, tamen si jam satis fluxit, supprimendus est: semperque ante finis faciendus est, quām anima deficiat: deligandumque brachium superimposito espresso ex aqua frigida penicillo; & postero die adverso medio digito vena fricanda, ut recens coitus ejus resolvatur, iterumque sanguinem fundat.

Sive autem primo sive secundo die sanguis, qui crassus & niger initio fluxerat, & rubore & pellucere cœpit, satis materiæ detraictum est, atque quod supereft, sincerum est: ideoque protinus brachium deligandum habendumque ita est, donec valens cicatricula sit; quæ celerrimè in vena confirmatur.

SECT. II. Cucurbitularum verò duo genera sunt, æneum & corneum. Ænea alterâ parte patet, alterâ clausa est: cornea alterâ parte æquè patet, alterâ foramen habet exiguum. In æneam linamentum ardens conjicitur, ac sic os ejus corpori aptatur imprimiturque, donec inhæreat. Cornea per se corpori imponitur; deinde, ubi ab eâ parte quâ exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superque cerâ cavum id clausum est, æquè inhærescit. Utraque non ex his tantum materiæ generibus, sed etiam ex quolibet alio

recte fit : ac si cætera defecérunt , caliculus quoque , aut pultarius oris compreßioris , ei rei commodè aptatur . Ubi inhæsit , si concîsa ante scalpello cutis est , sanguinem extrahit ; si integra est , spiritum . Ergo ubi materia quæ intus est , lædit ; illo modo ; ubi inflatio , hoc imponi solet .

Usus autem cucurbitulæ præcipuus est , ubi non in toto corpore , sed in parte aliqua vitium est , quam exhauiiri ad confirmandam valetudinem satis est . Idque ipsum testimonium est , etiam scalpello sanguinem , ubi membro succurritur , ab ea potissimum parte quæ jam læsa est , esse mitendum ; quod nemo cucurbitulam diversæ partis imponit , nisi quum profusionem sanguinis ed avertit ; sed ei ipsi quæ dolet , quæque liberanda est .

Opus etiam esse cucurbitulâ potest in morbis longis , quamvis & iis jam spatium aliquod accessit , sive corruptâ materiâ , sive spiritu male habente . In acutis quoque quibusdam , si & levari corpus debet , & ex vena sanguinem mitti vires non patiuntur : idque auxilium ut minus vehementis , ita magis tutum ; neque umquam periculosum est , etiam si in medio febris imperu , etiam si in cruditate adhibetur . Ideoque ubi sanguinem mitti opus est , si , incisâ venâ , præcepit periculum est , aut si in parte corporis etiam vitium est , huc potius configiendum est : cum etiam ut sciamus hic ut nullum periculum , ita levius præsidium esse ; nec posse vehementi malo nisi æque vehementis auxilium succurrere .

SECT. III. Dejectionem autem Antiqui varijs

medicamentis crebrâque alvi ductione , in omnibus ferè morbis , moliebantur : dabantque aut nigrum veratrum , aut filiculam , aut squamam æris quam *λεπίδα χαλκῆ* Græci vocant , aut laetucæ marinæ lac , cuius gutta pani adjecta abundè purgat ; aut lac vel asinînum vel bubulum vel caprînum , eique salis paullum adjiciebant , decoquebantque id , & sublatis his quæ coierant , quod quasi serum supererat , bibere cogebant.

Sed medicamenta stomachum ferè lœdunt : ideoque omnibus catharticis aloë miscenda est. Alvus si vehementius fluit aut sæpius ducitur , hominem infirmat. Ergo numquam in adversa valetudine medicamentum ejus rei caussâ rectè datur , nisi ubi is morbus sine febre est : ut , quum veratum nigrum aut atrâ bile vexatis , aut cum tristitia insipientibus , aut iis quorum nervi parte aliqua resoluti sunt , datur. At , ubi febres sunt , satius est ejus rei caussâ cibos potionesque assumere , qui simul & alant , & ventrem moliant : suntque valetudinis genera , quibus ex lacte purgatio convenit.

SECT. IV. Plerumque verò alvus portiùs ducenda est : quod ab Asclepiade quoque sic vituperatum , ut tamen servatum sit : video plerumque seculo nostro præteriri. Est autem ea moderatio , quam is secutus videtur , aptissima , ut neque sæpe ea medicina tentetur , & tamen semel vel summum bis non omittatur , si caput grave est , si oculi caligant , si morbus majoris intellîni est quod Græci *κάλλος* nominant , si in imo ventre aut in coxa dolores sunt ; si in stomachum quædam biliosa concupi-

D v

runt, vel etiam pituita eò se humorye aliquis aquæ similis confert; si spiritus difficilius redditur; si nihil per se venter excernit, utique si juxta quoque sterlus est, & intus remanet; aut si stercoris odorem, nihil dejiciens, æger ex spiritu suo sentit; aut si corruptum est quod excernitur; aut si prima inedia febrem non sustulit: aut si sanguinem mitti, quum opus sit, vires non patiuntur, tempusve ejus rei præterit; aut si multum ante mōrbum aliquis potavit; aut si is qui s̄ape, vel sponte vel casu, purgatus est, subito habet alvum suppressam.

Servandà verò illa sunt, ne ante diem tertium ducatur, ne ullā cruditate substante; ne in corpore infirmo diuque in adversa valetudine exhausto; neve in eo cui satis reddit quotidie, quive eam liquidam habebit; NE in ipso accessionis impetu, quia, quod tum infusum est, alvo continetur, regestumque in caput, multò gravius periculum efficit.

Pridie verò abstinēre debet æger, ut aptus tali curationi sit: eodem die ante aliquot horas aquam calidam bibere, ut superiores ejus partes made- scant: tum injicienda in alvum est, si leni medicinā contenti sumus, pura aqua; si paullo valen- tiori, mulsa; si leni, ex aqua in qua fœnum græcum, vel ptisana, vel malva decocta sit: si reprimendi caussâ, ex verbénis. Acris autem est marina aqua vel alia sale adjecto; at utraque decocta commodior est: acrior fit, adjecto vel oleo vel nitro vel melle quoque. Si acrior est, eo plus extrahit, sed minus facilè sustinetur. Id quod

infunditur, neque frigidum esse oportet neque calidum, ne alterutro modo lædat.

Quum infusum est, quantum fieri potest, continere se in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati dejectionis protinus cedere: ubi necesse est, tum demum desidere. Feréque eo modo demta materia, superioribus partibus levatis, morbum ipsum mollit. Quum verò, quoties res coëgit, desidendo aliquis se exhausit, paullisper debet conquiescere; &, ne vires deficiant, utique eo die cibum assumere: qui plenior an exiguis sit dandus, ex ratione ejus accessionis quæ expectabitur, aut in metu non erit, aestimari oportebit.

SECT. V. At vomitus, ut in secunda quoque valetudine saepè necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis quos bilis concitavit. Ergo omnibus qui ante febres horrore & tremore, omnibus qui cholera laborant, omnibus etiam cum quadam hilaritate insanientibus, & comitiali quoque morbo oppressis, necessarius est. Sed si acutus morbus est sicut in cholera, si febris est, inter horrores asperioribus medicamentis opus non est; sicut in dejectionibus quoque supra dictum est: satisque est ea vomitus caussâ sumi, quæ sanis quoque secunda esse proposui.

At ubi longi valentesque morbi sine febre sunt, ut comitialis, ut insania, veratro quoque albo utendum est. Id neque hieme neque æstate rectè datur; optimè vere, tolerabiliter autumno. Quisquis datus erit, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius sit. ILLUD scire oportet,

D vj

omne ejus modi medicamentum , quod potui da-
tur , non semper ægris prodesse , semper sanis
nocere.

SECT. VI. De frictione verò & gestatione adeò
multa Asclepiades , tamquam inventor ejus , po-
suit in eo volumine quod COMMUNIUM AU-
XILIORUM inscripsit , ut , quum trium tantum
faceret mentionem , hujus & vini & gestatio-
nis , tamen maximam partem in hoc consumse-
rit. Oportet autem neque recentiores viros in his
fraudare , quæ vel reperérunt vel rectè secuti sunt ;
& tamen ea quæ apud antiquiores aliquos posita
sunt , auctòribus suis reddere. Neque dubitari po-
test , quin latius quidem & dilucidiùs , ubi & quo-
modo frictione utendum esset , Asclepiades præ-
ceperit ; nihil tamen reperit , quod non a vetu-
stissimo auctore Hippocrate paucis verbis compre-
hensum sit : qui dixit , » Frictione , si vehemens
» sit , durari corpus ; si lenis , molliri ; si multa ,
» minui : si modica , impleri ».

Sequitur ergo , ut tum utendum sit , quum aut
adstringendum corpus sit quod fluens est ; aut
mollendum quod induruit ; aut digerendum in
eo id quod copiâ nocet ; aut alendum id quod
tenue & infirmum est. Quas tamen species si
quis curiosius æstimet , quod jam ad medicum
non pertinet , facilè intelliget omnes ex unâ caussâ
pendere , quæ demit. Nam & adstringitur ali-
quid , eo dempto quod interpositum , ut id laxa-
rêtur , efficerat ; & mollitur , eo detracto quod
duritiem crebat ; & implêtur non ipsâ frictione ,
sed cibo qui postea usque ad cutem digestione qua-

dam relaxatam penetrat. Diversarum verò rerum in modo caussa est.

Inter unctionem autem & frictionem multum interest. Ungi enim leniterque pertractari corpus, etiam in acutis & recentibus morbis oportet; in remissione tamen & ante cibum. Longè verò frictione uti, neque in acutis morbis, neque in incresentibus convenit; præter quām quum phreniticis somnus eā quæritur. Amat autem hoc auxilium valetudo longa, & jam a primo impetu inclinata.

Neque ignoro quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse incresentibus morbis, non quum jam per se finiuntur. Quod non ita se habet: potest enim morbus, etiam qui per se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli. Quod duabus de caussis necessarium est: & ut quām primū bona valetudo contingat; & ne morbus qui remanet, iterum quamvis levi de caussâ exasperetur. Potest enim morbus minus gravis esse quām fuerit, neque ideo tamen solvi; sed reliquiis quibusdam inhærere, quas admorum aliquod auxilium discutit.

Sed ut, levatā quoque adversā valetudine, recte frictio adhibetur; sic numquam adhibenda est, febre incresente: verū, si fieri poterit, quum ex toto corpus eā vacabit; sin minus, certe quum ea remiserit. Eadem autem modò in totis corporibus esse debet, ut quum infirmus aliquis implendus est; modò in partibus, aut quia ipsa ejus membra imbecillitas id requirit, aut quia alterius. Nam & capititis longos dolores ipsius frictio levat, non in impetu tamen doloris; &

membrum aliquod resolutum ipsius frictione confirmatur. Longè tamen saepius aliud perficandum est, quum aliud dolet: maximè quum a summis aut a mediis partibus corporis evocare materiam volumus; ideoque extremas partes perficamus.

Neque audiendi sunt qui numero finiunt, quotiesquis perficandus sit: id enim ex viribus hominis colligendum est; ut, si quis perinfirmitus est, potest satis esse quinquagies; si robustior, potest ducenties esse faciendum: inter utrumque deinde, prout vires sunt. Quo fit ut etiam minus saepe in muliere quam in viro, minus saepe in pueru vel sene quam in juvene manus dimovendae sint.

Denique si certa membra perficantur, multa valentique frictione opus est: nam neque totum corpus infirmari citè per partem potest, &c opus est quam plurimum materiae digeri, sive id ipsum membrum, sive per id aliud levamus. At ubi totius corporis imbecillitas hanc curationem per totum id exigit, brevior esse debet & lenior; ut tantum modo summam cutem emolliat, quo facilius capax ex recenti cibo novæ materiae fiat. IN MALIS jam ægrum esse testatur, ubi exterior pars corporis friget, interior cum siti calet, ut supra posui. Sed tunc quoque unicum in frictione præsidium est: quæ, si calorem in cutem evocavit, potest alicui medicinæ locum facere.

SECT. VII. Gestatio quoque longis & jam inclinatis morbis aptissima est: utilisque est & his corporibus quæ jam ex toto febre carent, sed adhuc exercéri per se non possunt; & his quibus lenta-

morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur. Asclepiades etiam in recenti vehementi que febre præcipueque ardente ad discutiendam eam gestatione dixit utendum esse. Sed id periculose fit; meliusque quiete ejus modi impetus sustinetur. Si quis tamen experiri voleret, sic experiatur, si lingua non erit aspera, si nullus tumor, nulla durities, nullus dolor visceribus aut capiti aut præcordiis suberit. Et ex toto, numquam gestati corpus dolens debet, sive id in toto, sive in parte est; nisi tamen solis nervis dolentibus: neque umquam incremente febre, sed in remissione ejus.

Genera autem gestationis plura sunt: quæ adhibenda sunt & pro viribus cujusque, & pro opibus; ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obsint.

Gestationum lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine; vehementior in alto navi, vel lecticâ aut scamno: acrior vehiculo: atque hæc ipsa & intendi & leniri possunt. Si nihil horum est, suspendi lectus debet & moveri: si ne id quidem est, at certè uni pedi lecti funiculus subjiciendus est, atque ita lectus huc & illuc manu impellendus.

Et levia quidem genera exercitationis infirmis-simis convenient; valentior verò his qui jam plus diebus febre liberati sunt, aut his qui gravium morborum initia sic sentiunt, ut adhuc febre va-cent, quod & in tabe & in stomachi vitiis, & quum aqua cutem subiit, & interdum in morbo regio fit: aut ubi quidam morbi, qualis comitialis, qualis insania est, sine febre quamvis di-

manent. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt, quæ comprehendimus eo loco, quo, quemadmodum sani, neque firmi, homines se gererent, præcepimus.

S E C T . VIII. Abstinentia verò duo genera sunt: alterum ubi nihil assumit æger, alterum ubi non nisi quod oportet. Initia morborum primùm famem sitimque desiderant; ipsi deinde morbi moderationem, ut neque aliud quam expedit, neque ejus ipsius nimium sumatur: neque enim convenit juxta inediam protinus satietatem esse. Quod si sanis quoque corporibus inutile est, ubi aliqua necessitas famem fecit; quanto inutilius est in corpore etiam ægro? Neque ulla res magis adjuvat labrantem, quam tempestiva abstinentia.

Intemperantes homines apud nos sibi cibi tempora, modum curantibus dant: rursus alii, tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum vindicant. Liberaliter agere se credunt, qui cætera illorum arbitrio relinquunt, in genere cibi liberi sunt: quasi queratur quid medico liceat, non quid ægro salutare sit, cui vehementer nocet, quoties in ejus quod assumitur, vel tempore vel modo vel genere peccatur.

S E C T . IX. Sudor etiam duobus modis elicitor, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est & arénæ calidæ, & laconici, & clibani, & quadrupliciter naturalium sudationum, ubi e terra profusus calidus vapor ædificio includitur, sicut super Baias in myrrétis habemus. Præter hæc sole quoque & exercitatione is movetur: utiliaque hæc genera sunt, quoties humor intus nocet, isque

Digerendus est : ac nervorum quoque quædam
vitia sic optimè curantur. Sed cætera infirmis pos-
sunt convenire : sol & exercitatio tantùm robustio-
ribus ; qui tamen sine febre vel initio morbi , vel
etiam non gravibus morbis tenentur. Cavendum
autem est , ne quid horum vel in febre vel in
cruditate tentetur.

At balnei duplex usus est : nam modò , dis-
cussis febribus , initium cibi plenioris vinique fir-
mioris valetudini facit ; modò febrem ipsam tol-
lit : feréque adhibetur , ubi summam cutem rela-
xari , evocarique corruptum humorem , & habi-
tum corporis mutari , expedit.

Antiqui timidiùs eo utebantur , Asclepiades au-
daciùs. Neque terrere autem ea res , si tempesti-
va est , debet ; at ante tempus nocet. Quisquis
febre liberatus est , simul atque ea uno die non
accessit , eo qui proximus est , post tempus ac-
cessionis tutò lavari potest. At si circuitum habere
ea febris solita est , sic ut tertio quartove die re-
vertatur , quandcumque non accessit , balneum
tutum est. Manentibus verò adhuc febribus , si
hæ sunt lentaे , li-nesque jam diu malè habent ,
restè medicina ist tentatur ; cum eo tamen , ne
præcordia dura sint , neve ea tumeant , neve
lingua aspera sit , neve aut in medio corpore
aut in capite dolor ullus sit , neve tum febris
increscat.

At in his quidem febribus quæ certum circui-
tum habent , duo balnei tempora sunt ; alterum
ante horrorem , alterum febre finitâ : in his verò
qui lentis febriculis diu detinentur , quum aut ex

toto recessit accessio ; aut si id non solet , certe lenita est ; jamque corpus tam integrum est , quam maximè esse in eo genere valetudinis solet.

Imbecillus homo iturus in balneum vitare debet , ne ante frigus aliquod experiatur. Ubi in balneum vénit , paullisper residere experiri que , num tempora adstringantur , & an sudor aliquis oriatur : illud si incidit , hoc non secutum est , inutile eo die balneum est : & perungendus est is leniter , & referendus , vitandumque omni modo frigus , & abstinentiam utendum. At si temporibus integris , primum ibi , deinde alibi sudor incipit , fovendum os aquâ calidâ ; tum in solio desidendum est : atque ibi quoque videndum , num sub primo contactu aquæ calidæ summa cutis inhorescat , quod vix tamen fieri potest , si priora recte accesserunt : certum autem id signum inutilis balnei est.

Ante verò quam in aquam calidam se demittat an postea , aliquis perungi debeat , ex ratione valetudinis suæ cognoscat. Ferè tamen (nisi ubi nominatim ut postea fiat , id præcipitur) moto sudore , leniter corpus perungendum ; deinde in aquam calidam demittendum est. Atque hic quoque habenda virium ratio est ; neque committendum , ut per aestum anima deficiat ; sed matutinis is auferendus est , curiosèque vestimentis involvendus ; ut neque ad eum frigus adspiret ; & ibi quoque , ante quam aliquid assumat , insuderet.

Fomenta quoque calida sunt milium , sal , arena : quodlibet eorum calefactum , & in linteum

conjectum : si minore vi opus est , etiam solūm
linteum ; at si majore , extinti titiones involuti-
que panniculis , & sic circumdati . Quinetiam
calido oleo replentur utriculi , & in vasa fictilia
(quas a similitudine lenticulas vocant) aqua con-
jicitur ; & sal sicco linteo excipitur , demittitur
que in aquam bene calidam , tum super id mem-
brum quod fovendum est , collocatur : juxtaque
ignem ferramenta duo ignita sunt , caperibus paullo
latiōribus : alterum ex his demittitur in eum sa-
lem , & aqua super leviter adsperrgitur : ubi fri-
gēre cœpit , ad ignem refertur : idem & in altero
fit , deinde in vicem in utroque : inter quæ de-
scendit salsus & calidus succus , qui contractis ali-
quo morbo nervis opitulatur . His omnibus com-
mune est , digerere id quod vel præcordia one-
rat , vel fauces strangulat : vel in aliquo membro
nocet . Quando autem quōque utendum sit , in
ipsis morborum generibus diceretur .

SECT. X. Quum de his dictum sit quæ detra-
hendo juvant , ad ea veniendum est quæ nos
alunt , id est cibum & potionem . Hæc autem non
omnium tantum morborum , sed etiam secundæ
yaletudinis communia præsidia sunt : pertinetque
ad rem omnium proprietates noſſe ; primùm ut
sani ſciant quo modo hiſ utantur , deinde ut ex-
ſequentiibus nobis morborum curationes , liceat spe-
cies rerum quæ affiduè necessariae erunt , ſubji-
cere : neque neceſſe ſit subinde singulas eāſ no-
minare .

Scire igitur oportet omnia legumina , quæque
ex frumentis panificia ſunt , generis valentissimæ .

esse. Id valentissimum voco, in quo plurimum alimenti est: item omne animal quadrupes domatum, omnem grandem feram, quales sunt caprea, cervus, aper, onager; omnem grandem avem, quales sunt anser & pavo & grus; omnes belluas marinas, ex quibus cetos est, quæque his pares sunt: item mel & caseum. Quo minus mirum est opus pistorum valentissimum esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat.

In media vero materia numerari ex oleribus debere ea quorum radices vel bulbos assumimus; ex quadrupedibus leporem; aves omnes a minimis ad phœnicopterum; item pisces omnes qui salem non patiuntur, solidive saliuntur.

Imbecillissimam vero materiam esse omne olus & quicquid in cauliculo nascitur, qualis est curbita & cucumis & capparis: omnia poma; oleas, cochleas, itemque conchylia.

Sed quamvis haec ita discreta sunt, tamen etiam quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiunt; aliaque res aliâ vel valentior est vel infirmior: siquidem plus alimenti est in carne quam in ulla alio. Firmius est triticum quam milium: id ipsum quam hordeum: & ex tritico firmissima siligo, deinde simila, deinde cui nihil ademtum est, quod *αιτόπου* Græci vocant: infirmior est ex polline: infirmissimus cibarius panis.

Ex leguminibus vero valentior faba vel lenticula, quam pisum. Ex oleribus valentior rapa napique & omnes bulbi, in quibus cepam quoque & allium numero, quam pastinaca vel quæ specialiter radicula appellatur. Item firmior brassica

& beta & porrum, quæ lactuca vel cucurbita vel asparagus.

At ex fructibus surculorum valentiores uvæ, ficus, nuces, palmulæ quām quæ poma propriè nominantur: atque ex his ipsis firmiora quæ succosa, quām quæ fragilia sunt.

Item ex his avibus quæ in media specie sunt, valentior ea quæ pedibus, quām quæ volatu magis nititur: & ex his quæ volatu fidunt, firmiores sunt quæ grandiores aves, quām quæ minutæ ut ficedula & turdus. Atque eæ quoque quæ in aqua degunt, leviorem cibum præstant, quām quæ natandi scientiam non habent. Inter domesticas verò quadrupedes levissima suilla est; gravissima bubula. Itemque ex feris, quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est.

Piscium quoque eorum qui ex media materia sunt, quibusque maximè utimur, tamen gravissimè sunt, ex quibus salsa menta quoque fieri possunt, qualis lacertus est; deinde hi qui, quamvis teneriores, tamen duri sunt, ut aurata, corvus, scarus, oculata; tum plani: post quos etiam leviores sunt lupi nullique; & post hos omnes saxatiles.

Neque verò in generibus rerum tantum modò discriminè est, sed etiam in ipsis: quod & ætate fit, & membro, & solo, & cælo, & habitu.

Nam quadrupes animal omne, si lactens est, minus alimenti præstat; itemque quo tenerior pullus cohortalis est: in piscibus quoque media ætas, quæque nondum summam magnitudinem implevit.

Deinde ex eodem sue , ungułæ , rostrum , au-
res , cerebellum ; ex agno hædove cum petiolis
rotum caput aliquanto quàm cætera membra ,
leviora sunt ; adeò ut in media materia poni pos-
sint . Ex avibus colla alæve rectè infirmis annu-
merantur .

Quod ad solum verò pertinet , frumentum quo-
que valentius est collinum quàm campestre : le-
vior piscis inter saxa editus quàm in arena ; levior
in arena quàm in limo . Quo fit , ut ex stagno
vel lacu vel flumine eadem genera graviora sint :
leviorque qui in alto quàm qui in vado vixit .
Omne etiam serum animal domestico levius ; &
quocumque humido cœlo , quàm quod sicco
natum est .

Deinde eadem omnia pinguia quàm macra ,
recentia quàm salsa , nova quàm vetusta , plus
alimenti habent . Tum res eadem magis alit juru-
lenta , quàm affa , magis affa quàm frixa . Ovum
durum valentissimæ materiæ est , molle vel sor-
bile imbecillissimæ . Quumque panificia omnia
firmissima sint , elota tamen quædam genera fru-
menti , ut alica , oryza , prisana , vel ex iisdem
facta sorbitio vel pulticula , & aquâ quoque ma-
dens panis , imbecillissimis annumerari potest .

Ex potionibus verò , quæcumque ex frumento
facta est , itemque lac , mulsum , defrutum , paſsum ,
vinum aut dulce aut vehemens , aut mustum , aut
magnæ vetustatis , valentissimi generis est . At acē-
tum , & id vinum quod paucorum annorum , vel
austerum vel lene est , in media materia est : ideō-
que infirmis numquam generis alterius dari debet .

Aqua omnium imbecillissima est : firmiorque ex frumento potio est , quo firmius fuit ipsum frumentum : firmior ex eo vino quod bono solo , quam quod tenui ; quodque temperato cœlo , quam quod aut nimis humido aut nimis sicco ; nimiumque aut frigido aut calido natum est. Multum , quo plus mellis habet ; defrutum , quo magis incoctum ; passum , quo ex sicciori uvâ est , eo valentius est.

Aqua levissima pluvialis est ; deinde fontana , tum ex flumine , tum ex puteo ; posthæc ex nive aut glacie ; gravior his ex lacu , gravissima ex palude. Facilis etiam & necessaria cognitio est naturam ejus requirentibus. Nam levis pondere apparet , & ex his quæ pondere pares sunt , eo melior quæque est , quo celerius & calescit & frigescit ; quodque celerius ex ea legumina percoquuntur.

Ferè verò sequitur , ut , quo valentior quæque materia est , eo minus facile concoquatur ; sed si concocta est , plus alat. Itaque utendum est materiae genere pro viribus : modusque omnibus pro genere sumendus. Ergo imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est : mediocriter firmos media materia optimè sustinet ; & robustis apta validissima est. Plus deinde aliquis assumere ex levioribus potest : in his magis , quæ valentissima sunt , temperare sibi deberet.

SECT. XI. Neque hæc sola discrimina sunt ; sed etiam aliæ res boni succi , aliæ mali sunt ; quæ σύκουα & κακόκυουα Græci vocant : aliæ lenes , aliæ acres : aliæ crassiorem pituitam in nobis faciunt , aliæ tenuiorem : aliæ idoneæ sunt sto-

macho , aliæ alienæ : itemque aliæ inflant , aliæ ab hoc absunt : aliæ calefaciunt , aliæ refrigerant : aliæ facilè in stomacho acescunt , aliæ non facilè intus corrumpuntur : aliæ movent alvum , aliæ supprimunt : aliæ citant urinam , aliæ tardant : quædam somnum movent , quædam sensus excitant . Quæ omnia ideo noscenda sunt , quoniam aliud alii vel corpori vel valetudini convenit .

I. Boni succi sunt triticum , siligo , alica , oryza , amyolum . Item & lenes sunt , & stomacho aptæ , & calefaciunt , tragum , prisana , lac , caseus mollis , omnis venatio , omnes aves quæ ex media materia sunt ; ex majoribus quoque hæ quas supra nominavimus : medii inter teneros durosque pisces , ut mullus & lupus verna : olera ut lactuca , urtica , malva , cucumis , cucurbita , portulaca , cochlearia , palmulae : ex pomis quodcumque neque acerbum neque acidum est : vinum dulce vel lene , passum , defrutum ; oleæ quæ ex his duobus in alterutro servatae sunt : vulvae , rostra , trunculique suum ; in summâ omnis pinguis caro , omnis glutinosa , omne jecur ; ovum sorbile .

Mali verò succi sunt , milium , panicum , hordeum , legumina : caro domestica permacra , omnisque salsa , omne salsamentum , garum , vetus caseus : siser , radicula , rapa , napi , bulbi , brasica magisque etiam cyma ejus , asparagus , beta , cucumis , porrum , eruca , nasturtium , thymum , nepeta , satureia , hyssopum , ruta , anethum , feniculum , cuminum , anisum , lapathum , sinapi , allium , cepa : lienes , renes , intestina : pomum quodcumque

quodcumque acidum vel acerbum est ; acētum , omnia acria , acida , acerba , oleum , pisces quoque saxatiles , itemque omnes qui ex tenerimo genere sunt , aut hi qui rursus nimirū duri virosique sunt , ut ferè quos stagna , lacus limosique rivi ferunt , quique in nimiam magnitudinem excesserunt .

II. Lenes autem sunt sorbitio , pulticula , lagnum , amyolum , ptisana , pinguis caro & quæcumque glutinosa est : quod ferè quidem in omni , quæ domestica , fit ; præcipue tamen in ungulis trunculisque suum , in petiolis capitulisque hædorum & vitulorum & agnorum , omnibusque cerebellis : item bulbi hi qui propriè nominantur : lac , defrutum , paſſum , nuclei pinei . Acria sunt omnia nimis austera , omnia acida , omnia salsa ; & mel quidem , quo melius est , eo magis . Item allium , cepa , erūca , ruta , nasturtium , cucumis , beta , brassica , asparagus , sināpi , radicula , intubus , ocīnum , lactūca , maximaque oleum pars .

III. Crassiorem autem pituitam faciunt , ova sorbilia , alica , oryza , amyolum , ptisana , lac , bulbi omniaque ferè glutinosa . Extenuant eamdem omnia salsa , atque acria & acida .

IV. Stomacho autem aptissima sunt , quæcumque austera sunt ; etiam quæ acida , quæque concta sale modico : item panis sine fermento , & clōta alica vel oryza vel ptisana : omnis avis , omnis venatio ; atque utraque vel asla vel elixa : ex domesticis animalibus bubula : si quid ex cæteris sumitur , macrum potius quam pingue : ex sue ungulæ , rostra , aures , vulvæque steriles : ex

oleribus , intubis , laetūca , pastināca , cucurbita elixa , siler : ex pomis , cerasum , morum , sorbum , pirum fragile , quale Crustumīnum vel Nævianum est : item pira quæ reponuntur , Tarrentīna atque Signīna : malum orbiculatum , aut Scandianum , vel Amerīnum , vel cotoneum , vel Punicum ; uvæ ex olla , molle ovum , palmulæ , nuclei pinei , oleæ albæ ex dura muria , eadem acēto intinctæ , vel nigræ quæ in arbore bene permaturerunt , vel quæ in passo defrutove servatæ sunt : vinum austērum , licet jam asperum sit , Item resinatum : duri ex media materia pisces , ostrea , pectines , murices , purpuræ , cochlearæ : cibi potionisque frigidæ vel ferventes , absinthium.

Aliēna verò stomacho sunt omnia tepida , omnia salsa , omnia jurulenta , omnia prædulcia , omnia pingua , sorbitio , panis fermentatus , idemque vel ex milio vel ex hordeo , oleum , radices olerum , &c quodcumque olus ex oleo garove estur , mel , mulsum , defrutum , passum , lac , omnis caseus , uva recens , ficus & virides & aridæ , legumina omnia , quæque inflare consueverunt : item thymum , nepeta , satureia , hysopum , nasturtium , lapathum , lampsāna , juglandes. Ex his autem intelligi potest , non , quicquid boni succi est , protinus stomacho convenire ; neque quicquid stomacho convenit , protinus boni succi esse.

V. Inflant autem omnia ferè legumina , omnia pingua , omnia dulcia , omnia jurulenta , mustum , atque etiam id vinum cui nihil adhuc

ætatis accessit : ex oleribus allium , cepa , brassica , omnesque radices , excepto sisere & pastinacâ , bulbi , ficus etiam aridæ , sed magis virides , uvæ recentes , nuces omnes , exceptis nucleis pineis , lac omnisque caseus , quicquid deinde suberudum aliquis assumisit.

Minima inflatio fit ex venatione , aucupio , piscibus , pomis , oleis , conchiliis , ovis vel molibus vel sorbilibus , vino vetere.

Fœniculum verò & anethum inflationes etiam levant.

VI. At calefaciunt piper , sal , caro omnis jurulenta , allium , cepa , ficus aridæ , salsamentum , vinum , & quo meracius est , eo magis.

Refrigerant olera quorum crudi caules assumentur , ut intubus & lactuca ; itemque coriandrum , cucumis , elixa cucurbita , beta , mora , cerasa , mala austera , pira fragilia , caro elixa ; præcipueque acetum sive cibus ex eo , sive potio assumitur.

VII. Facilè autem intus corrumpuntur , panis fermentatus , & quisquis alias quam ex tritico est , & omne pistorium opus ; lac , mel : ideoque lactaria atque teneri pisces , ostrea , olera , caseus & recens & vetus , crassa vel tenera caro , vinum dulce , mulsum , defrutum , passum : deinde quicquid vel jurulentum est , vel nimis dulce , vel nimis tenuerit.

At minimè intus vitiantur , panis sine fermento , aves , & ea potius duriores , durati pisces , neque solum aurata pura aut scarus , sed etiam lolligo , locusta , polypus : item bubula

E ij

omnisque dura caro ; eademque aptior est , si
macra , si salsa est ; omniaque salsamenta : co-
chleæ , myrices , purpuræ : vinum austèrum vel
resinatum.

VIII. At alvum movent panis fermentatus , ma-
gisque si cibarius vel hordeaceus est ; brassica ,
si subcruda est , lactuca , anethum , nasturtium ,
ocimum , urtica , portulaca , radicula , cappa-
ris , allium , cepa , malva , lapathum , beta , aspa-
ragus , cucurbita , cerasa , mora , poma omnia
mitia , ficus etiam aridae , sed magis virides ; uva
recentes pingues , minutæ aves , cochleæ , garum ,
salsamenta , ostrea , pelorides , echini , musculi
& omnes ferè conchulæ , maximèque jus earum ;
saxatiles & omnes teneri pisces , sepiarum atra-
mentum : si qua caro assumitur , pinguis ; eadem
vel jurulenta vel elixa ; aves quæ natant ; mel
crudum , lac , lactaria omnia , mulsum , vinum
dulce vel salsum , aqua : tenera omnia , tepida ,
dulcia , pinguia , elixa , jurulenta , salsa vel diluta.

Contra adstringunt , panis ex silagine vel ex
simila ; magis , si sine fermento est ; magis etiam
si tostus est ; intenditurque vis ejus etiam , si bis
coctus est : puplicula vel ex alica vel ex panico
vel ex milio ; itemque ex iisdem sorbitio , & ma-
gis si hæc ante fricta sunt : lenticula cui vel beta
vel intubus , vel ambubeia vel plantago adjecta
est ; magisque etiam si illa ante fricta est : per se
etiam intubus , vel ex plantagine vel ambubeiâ
fricta ; minutæ olera , brassica bis decocta ; dura-
ova ; magisque si affa sunt : minutæ aves , me-
rulae , palumbes ; magisque si is in poscâ decoctus

est : grues omnes avesque quæ magis currunt quam volant ; lepus , caprea ; jecur ex his quæ sevum habent , maximèque bubulum , ac sevum ipsum : caseus qui vehementior vetustate fit , vel è mutatione quam in caseo transmarino videmus ; aut si recens est , ex melle mulsove decoctus : item mel coctum , pira immatura , sorba , magisque ea quæ torminalia vocantur , mala Cydonia & Punica , oleæ vel albæ vel præmaturæ , myrta , palmulæ , purpuræ , murices , vinum resinatum vel asperum , item meracum , acetum , mulsum quod inferbuit , asperum item defrutum , passum ; aqua vel tepida vel præfrigida , dura , id est , ea quæ tardè putrescit , ideoque pluvia potissimum ; omnia dura , macra , austera , aspera , tosta , & in eadem carne , affa potius quam elixa.

IX. Urinam autem movent , quæcumque in horto nascentia boni odoris sunt , ut apium , ruta , anethum , ocimum , mentha , hyssopum , anisum , coriandrum , nasturtium , eruca , feniculum : præter hæc asparagus , capparis , nepeta , thymum , satureia , lapsanum , pastinaca , magisque agrestis , radicula , siser , cepa ; ex venatione maxime lepus ; vinum tenue , pipet & rotundum & longum , sinapi , absinthium , nuclei pinei .

Hic ea desunt quæ urinam tardant.

X. Somno verò aptum est papaver , lactuca , maximèque aestiva , cuius caulinulus jam lacte repletus est , morum , porrus .

Sensus excitant , nepeta , thymum , satureia , hyssopum , præcipueque pulegium , ruta & cepa .

C A P U T T E R T I U M.

E VOCARE verò materiam multa admodum possunt: sed ea quum ex peregrinis medicamentis maximè constent, aliisque magis quam quibus ratione victus succurritur, opitulentur; in præsentia differam: ponam verò ea quæ promta, & his morbis de quibus protinus dicturus sum, apta, corpus erōdunt, & sic ex eo quod mali est, extrahunt.

I. Habent autem hanc facultatem semina erūcæ, nasturtii, radiculæ; præcipue tamen omnium, sinápi. Salis quoque & fici eadem vis est.

II. Leniter verò simul & reprimunt & molliunt, lana succida cui cum acéto vel vino oleum adjectum est; contrítæ palmulæ, furfures in salsa aqua vel acéto decocti.

III. At simul reprimunt & refrigerant, herba muralis, ταρούχιον vel περθίκιον (Græci) appellant, serpillum, pulegium, ocimum, herba sanguinalis quam Græci πολυχον vocant, portulaca, papaveris folia capreolique vitium, coriandri folia, hyoscyamum, muscus, siser, apium, solánum quam στρυχόν Græci vocant, brassicæ folia, intubus, plantago, feniculi semen, contrita pira vel mala, præcipue Cydonia, lenticula, aqua frigida, maximèque pluvialis, vinum, acétum, & ex horum aliquo madens vel panis, vel farina, vel spongia, vel lacinia, vel lana succida, vel etiam linteolum, creta

Cimolia , gypsum , melinum , myrteum , rosa , acerbum oleum , verbenarum contusa cum teneris caulis folia ; cuius generis sunt olea , cupressus , myrtus , lentiscus , tamarix , ligustrum , rosa , rubus , laurus , edera , Punica malus .

Sine frigore autem reprimunt , cocta mala Cydonia , malicorum , aqua calida in qua verbena cocta sunt quas supra proposui , pulvis vel ex fæce vini vel ex myrti foliis , amarae nuces .

IV. Calefacit vero ex qualibet farinâ cataplasma , sive ex tritici , sive ex farris , sive hordei , sive ervi , vel lolii , vel milii , vel panici , vel lenticulae , vel fabæ , vel lupini , vel lini , vel foeni græci , ubi ea deferbuit , calidaque imposita est . Valentior tamen ad id omnis farina est ex mulso quam ex aqua cocta . Præterea cyprinum , irinum , medulla , adeps ex fele juncta oleo , magisque si id vetus est , sal , nitrum , git , piper , quinquefolium .

V. Feréque , quæ vehementer & reprimunt & refrigerant , durant : quæ autem calefaciunt & digerunt , ea emolliunt : præcipueque ad emolliendum prodest cataplasma ex lini vel foeni græci semine .

His autem omnibus , & simplicibus , & permistis , variè medici utuntur : ut magis , quid quisque persuaserit sibi , appareat , quam quid evidenter compererit .

